Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-66806-p0001-9

25.

DEI GRATIA

JANUSSIUS RADZIVIL,

Dux Birzarum, & Dubinckorum, S. R. I. Princeps, &c.

RECTOR ACADEMIÆ LIPSIENSIS.

THeophraſtus, Ariſtotelis in Peripato ſucceſſor, moriens accuſaſſe Naturam dicitur, quòd corvis & cornicibus vitam diuturnam, cùm tamen illorum id nihil intereſſet, hominibus autem, quorum maximè interfuiſſet, tam exiguam vitam dediſſet: quorum ſi ætas potuiſſet eſſe longinquior, futurum fuiſſe, ut omnibus perfectis artibus, omni doctrina, hominum vita erudiretur, ac fructus laborum juventutis ſuæ uberiores caperet. Verùm enim verò Philoſophum hunc non immeritò taxat Salluſtius in bello Jugurthino: Falsò, inquit, queritur de Natura ſua genus humanum, quòd imbecilla, atq; ævi brevis forte potiùs quàm virtute regatur. Nam contrà reputando, neq; majus aliud, neq; præſtabilius invenias; magisq; Naturæ, induſtriam hominum, quàm vim aut tempus deeſſe. Optimum ſanè hoc eſt judicium, ſi præſertim induſtria referatur ad omne id, quod in vita nobis expediundum incumbit, & pietatem tanquam centrum omnium actionum in ſe complectatur. Actu enim vitam oportet metiamur, non tempore: & ſicut in minore corporis habitu poteſt homo perfectus eſſe: ſic & in minore temporis modo illa perfecta eſſe poteſt: quod Senecæ eſt ſcitum ex Stoa depromtum. Nec à libella Spiritus ſancti hoc diſcrepat: Quid enim aliud eſt Natura, quàm ordinaria DEI adminiſtra? ut Scaliger Philoſophus Chriſtianus deſcribit: quam incuſare qui voluerit, nonne DEO ipſi dicam ſcribet? Scilicet omnibus ille metam præfixit, quam transgredi non licet. Eam quisquis attingit ita, ut certaminis boni, fidei & bonæ conſcientiæ ſervatæ coram DEO laudem obtineat, ampliſſimum vitæ ſpacium emenſus eſt. Qui verò pii viri officium non explevit, non vixit iſte diu, ſi vel extremam lineam ſenectæ aſſecutus fuerit, ſed in vita moratus eſt, nec ſerò mortuus eſt, ſed diu, ut iterum Senecæ verba inſtituto noſtro accommodemus. Atq; in hunc cenſum Virorum piorum & benè de rebus communibus meritorum dignè referimus Virum ampliſſimum Dn. D. JACOBUM SCULTETUM, JCtum celeberrimum, cujus hodiè exequiæ ſunt cohoneſtandæ: quem accepimus Elbingæ in Pruſſia natum eſſe anno 1571. die 26. Junii, loco conſpicuo. Pater namq; illius fuit Dn. JOHANNES SCHULTES, è primoribus in iſta Urbe civibus & mercatoribus; mater autem CATHARINA Braunin patricia, cujus parens Dn. MICHAEL Braun Burggravii, Regis Poloniæ locum tenentis, & Conſulis officium magnâ cum Boni publici acceſſione ibidem adminiſtravit. Ab his Parentibus omnis cura fuit adhibita, ut filium, ceu ſingulare donum DEI, ad Nominis quoq; divini laudem educarent. Ac quia in prima ſtatim ætate ſui exſpectationem liberalis ingenii indole anteveniebat, aliquantò maturiùs in Scholam publicam miſſus eſt, ut ſub magiſterio publicæ diſciplinæ creſceret, & pietate bonisq; artibus imbueretur. Sed vix adhuc ſeptennis Parente cariſſimo orbatus fuit. Nihilominus autem mater piiſſima de conſilio avunculi & Tutoris Dn. GEORGII BRUNONIS, Burggravii regii, ſollicitè curavit, ut ſemel inceptam ſtudiorum telam pertexeret, & linguam inſuper Polonicam, ad frequentanda comitia regni Polonici, & perpetua Prutenorum cum ea gente commercia neceſſariam, addiſceret. Jactis in Elbingenſi Gymnaſio fundamentis linguarum & artium, in Academiam Regiomontanam conceſſit anno 1586. ibiq; Hieronymum à Lapide, Profeſſorem publicum & Philoſophum acutum præ cæteris diligenter audivit, utq; feliciùs proficeret, privatam quoq; inſtitutionem Dn. Joſuæ Thomæ in Philoſophicis adhibuit. Dehinc Witebergam venit anno 1589. ibiq; annum ſubſiſtens in ambulacris Sophorum egregia ſpecimina edidit, & horis ſucciſivis loco aliarum recreationum Muſicam excoluit: utq; demonſtraret, ſe non perfunctoriè, & à ſummo labro in hac quoq; arte verſatum eſſe; permiſſu Collegii Philoſophorum Muſicam Poeticam privatim docuit, nec non ſacras melodias compoſuit, quæ & anno 1590. publicè ſunt editæ. Inde domum à Tutore avocatus eſt, ut ad negocia publica adhiberetur, cujus quidem voluntati obſecutus rediit in Patriam: ſed quia jam VVitebergæ ad ſtudium Juris animum applicuerat, eidem aperuit, ſtare ſibi ſententiam, cœptum hoc ſuum cum DEO urgendi. Idq; non abnuente avunculo Heydelbergam profectus, Julio Pacio Juris Civilis; & Johanni Schonero, Juris Feudalis Anteceſſoribus excellentiſſimis audiendis operam indefeſſam dedit, ac ſub utriusq; Præſidio Diſputationes publicas privatasq; habuit: quin & in hoc ſtadio eos progreſſus fecit, ut anno 1594. Inſtitutiones Juſtinianeas & Jus Feudale aliis privatim explanaret. Exacto ibidem ſeſquianno Lipſiam noſtram elegit, ubi eruditionis ſuæ augmenta caperet, & fructum ſimul faceret. Neq; hæc ſpes decollavit: quia factâ ſibi privatim docendi copiâ, ſingulari cum ſolertiâ Nobilibus aliisq; Studioſis Juris Inſtitutiones interpretatus eſt: nec non eodem anno 1595. publicè diſputando magnam gratiam, tàm apud Præſidem D. Johannem Monachum, Facultatis juridicæ Ordinarium & Conſiliarium Saxonicum, quàm apud univerſum Auditorium iniit. Poſtero anno Jenam ſe contulit, ibiq; Inſignia Doctoralia pro egregia ſua eruditione facilè exambivit, & 10. Julii votivo cum Academiæ totius applauſu ſolenniter accepit, ſortitus in hoc ſuo honore comparem exoptatiſſimum Dn. D. GEORGIUM JACOBUM Reichen/ Sereniſſ. Electoris Sax. Conſiliarium ſplendidiſſimum. Poſteà Lipſiam noſtram repetiit, & matrimonium inire decrevit. Ac quia rectiſſimè ſtatuebat, rei familiaris firmum columen eſſe Fœminam piam & probè moratam, ideò apud Familiam Groſianam ſe inſinuavit. Senſit autem à DEO, Conjugii autore & fautore, conſilia ſua proſperari, & animos Parentum ſimul & Speratæ prolixo ſibi affectu conciliari. Pater namq; Virginis, Dn. HENNINGUS GROSIUS, quondam Senator hujus Urbis & Bibliopola celebris, Literatorum fautor optimus, perſpectâ ejus ſingulari doctrinâ, mirâq; dexteritate & morum elegantiâ, gratulatus ſibi de hac DEI diſpoſitione, Filiam ſuam cariſſimam MARTHAM, à pudicitiâ cæterisq; virtutibus commendatiſſimam, tunc Virginem, ſummo cum ſuorum gaudio nuptam collocavit. Cum hac itaq; ὁ μακαρίτης noſter 16. Auguſti Anno 1596. nuptias celebravit, & annos triginta tres ſuaviſſimo conſortio vixit, ſuſceptis ex ea duobus liberis, JACOBO, & ANNA: Illum jam ad ſumma adſpirantem, quadriennio abhinc, non ſine luctûs acerbitate maximâ, præmiſit ex Juris Candidato mox ad cœleſtem gloriam promotum: Hanc autem Vir Conſultiſſimus & Excellentiſſimus Dn. MICHAEL THOMAS, J.U.D. & Practicus honoratiſſimus, ob varias dotes animi corporisq; ſexum fœmineum decorantes, Anno 1618. in Uxorem duxit: ex cujus conjugii fœcunditate piè defunctus quatuor nepotes & duas neptes vidit: eaq; benedictio DEI orbitatem, ex morte Filii præmaturâ oriundam, doloremq; mitigavit. Maritus jam factus Practico ſtudio ſe dedidit, ſibi quoq; dictum ratus acre illud Ciceronis: Cæteros pudeat, ſi qui ſe ita literis abdiderunt, ut nihil ex his, neq; ad communem afferre fructum, neq; in aſpectum lucemq; proferre poſſint. Quantum verò præſtiterit, paſſim loquitur bona Fama, & in Clientes extantia merita quàmplurima. Teſtantur & monumenta in publicum edita, quæ iis, qui Politicæ Jurisq; diſciplinæ ſe conſecrârunt, non ſunt ignota. Qualia ſunt: de fide hæreticis ſervandâ: Additiones ad Deciſiones Coleri: ad Quæſtiones Modeſtini Piſtoris, & ad Obſervationes Hartmanni Piſtoris: nec non Brunonis à Sole Locos communes: ut & ad Proceſſum Terminæi, Rotſchitz, Goldſteinii, & Juliani König: Quibus omnibus ſcriptis rectiùs percipiendis lucem magnam fœneratus eſt. Maximè autem judicii acrimoniam, uſumq; rerum plurimum arguunt Quæſtiones practicæ, & Obſervationes forenſes, quas proprio Marte in ſolidum elaboravit. Acceſſit honorificæ huic Bonorum omnium de ſe exiſtimationi, inprimis dignatio clementiſſima Inclytiſſimæ Domûs Saxonicæ, quæ in Expeditionibus variis ejus opera uti voluit. Nam Sereniſſimus Elector Saxoniæ, etiam antequam Enſem Electoralem capeſſeret, Conſiliarii munus ei detulit. Quin & ante ipſum Chriſtianiſſimus Elector CHRISTIANUS II. tutorio nomine Illuſtriſſimis Hæredibus Celſiſſimi Principis, Dn. FRIDERICI VVILHELMI, harum Ditionum quondam Adminiſtratoris meritiſſimi, eundem delegit Conſiliarium. Tacemus jam Commiſſiones, quæ ab eodem Electore clementiſſimè ipſi ſunt demandatæ; è quibus potiſſimùm eminent duæ illæ, cùm inter Illuſtriſſimos Principes ac Duces, Brunſvicenſem & Anhaltinum, Anno 1608. tractatum eſt, nec non quando de ſucceſſione inter Illuſtriſſimos Haſſiæ Landgravios per amicabilem interpoſitionem actum fuit, anno 1611. Non minùs honorifica & illa fuit provincia, dum ab Electore & univerſa domo Saxoniæ deputatus eſt cum JCto nominatiſſimo D. Johanne Timæo, Conſiliario Saxonico & Archiepiſcopatûs Magdeburgenſis Cancellario, ad componendas cauſas Juliacas; ob quarum expeditionem graviſſimis deliberationibus & conventibus variis, Naumburgi anno 1609. & biennio pòſt Jutroboci, & totidem annis pòſt Erfurdiæ interfuit: anno autem abhinc in oras Juliacas, ad commiſſionem ab Auguſtiſſimo Imperatore noſtro Ferdinando II. illûc deſtinatam eſt miſſus. Sed & legationes in Boruſſiam, à Sereniſſimis Saxoniæ Electoribus 1608. 1617. 1618. injunctas feliciter obiit, atq; in omnibus officii ſui partibus ita ſe geſſit, ut meritò in eum quadret, quod olim ab Auguſtiſſ. Imperatoribus de Advocatis publici Boni amantibus promulgatum eſt encomium: Non minùs provident humano generi, quàm ſi præliis atq; vulneribus Patriã Parentesq; ſervarent. Nec enim ſolos noſtro imperio militare credimus illos, qui gladiis, clypeis, thoracibus nituntur, ſed qui glorioſæ vocis (addimus & calami eruditi) confiſi munimine laborantium ſpem, vitam & poſteros defendunt. Neq; etiam nos diſſimulamus prolixum affectum, quo virum optimum amavimus, & ſtudia cupidè nobis exhibita magnifecimus: ob quæ & Celſiſſimus Dominus parens noſter, Dominus Chriſtophorus Radzivil, Dux Birzarum & Dubinckorum, S. R. I. Princeps, ipſum gratioſiſſimè habuit. Reliquam vitæ ſummam quod attinet, noverunt omnes, eum fuiſſe æquitatis & honeſti amantiſſimum, candore apertum, converſatione pacificum, & qui humanitatem ac modeſtiam debitâ cum gravitate temperârit; ut propterea apud univerſos benè audiret. Maximè verò pietatem cordi habuit, congregationes Eccleſiaſticas frequentavit, ad ſacram Synaxin ſæpiùs acceſſit: Sicut & triduo ante diſceſſum ex hac vita ſe vivifico illo corporis & ſanguinis dominici viatico ad domuitionem beatam inſtrui curavit. Nolumus jam multis allegare, quàm variis meditationibus ſemet ipſe excitârit; quas & cum Theologis noſtratibus communicavit, earumq; nonnullas, de Judicii Extremi Signis & proceſſu ſingulari induſtria elaboratas, in publicum edidit: certa quoq; precum ac Pſalmodiarum Chriſtianarum exercitia familiæ ſuæ deſignavit, & nuper admodùm nepotibus iſtiuſmodi formulam præſcripſit:

Chriſte ſerva miſerum, Qui te ſalutiferum Agnoſcit & dominum, Suſceptorem hominum Verè pœnitentium.

Ex quibus facilè poteſt conſtare, ita eum humanis interfuiſſe, ut noviſſima cogitaret. Morbum ejus quod attinet, non ita pridem 26. Auguſti ipſum Cizæ in ſtatione ſua, id eſt, cùm Advocatum ageret, paroxyſmus febrilis inceſſit: Ac principio quidem operâ Medici uſus meliuſculè habuit, & propterea laboribus ſuis iterum defungi voluit. Sed enim calor præternaturalis recidivam innovans, coëgit ipſum ab expeditione deſiſtere. Quâ de cauſa Lipſiam vectus, Medicos experientiſſimos in conſilium adhibuit. Et quidem febris initiò haud ita minax apparebat, ſed mox in continuam putridam degeneravit; cui tandem lethargus ſupervenit. Ita factum, ut vires, laboribus vocationis & ex filii cariſſimi morte reſiduo ſqvalore non parùm debilitatæ, magis magisq; imminuerentur. Quemadmodum verò aliàs ſemper, ita quoq; in hoc morbo, totum ſe Deo ſuo reſignavit, & in ejus voluntate, quemcunq; exitum daturus eſſet, paratiſſimo animo acquievit, fretus, ſi migrandum hinc eſſet, divinâ promiſſione de occupando in alterâ vitâ tabernaculo fiduciæ & quietis opulentæ: quam ſibi ab Eccleſiaſte ex Eſaia c.32. v. 18. ſolatii ergò propoſitam, ſupremisq; ſermonibus aliquoties iteravit, tandemq; inter aſtantium preces Salvatori ſuo animam, die nupero Solis in ipſo noctis concubio, circiter dimidiam duodecimam reddidit, poſt quam ſuperiore Junio annum quinquageſimum nonum ingreſſus eſſet. Funus honorificè, ut par eſt, deductione curabitur hodie horâ tertiâ. Quapropter gratioſè mandamus, ut Cives Academici præſtò ſint, & exequias viri, Reipublicæ Bono nati, decenter cum aliis cant. Quod officium toti ejus honoratiſſimæ familiæ gratum erit, & luctum inopinatum ipſi non parùm leniet. P.P. 10. Sept. Anno 1629.

26

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-66806-p0003-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-66806-p0005-1

DEI GRATIA

JANUSSIUS RADZIVIL,

Dux Birzarum, & Dubinckorum, S. R. I. Princeps, &c.

RECTOR ACADEMIÆ LIPSIENSIS.

THeophraſtus, *Ariſtotelis in Peripato ſucceſſor, moriens accuſaſſe Naturam dicitur, quòd corvis & cornicibus vitam diuturnam, cùm tamen illorum id nihil intereſſet, hominibus autem, quorum maximè interfuiſſet, tam exiguam vitam dediſſet: quorum ſi ætas potuiſſet eſſe longinquior, futurum fuiſſe, ut omnibus perfectis artibus, omni doctrina, hominum vita erudiretur, ac fructus laborum juventutis ſuæ uberiores caperet. Verùm enim verò Philoſophum hunc non immeritò taxat Salluſtius in bello Jugurthino:* Falsò, *inquit*, queritur de Natura ſua genus humanum, quòd imbecilla, atq; ævi brevis forte potiùs quàm virtute regatur. Nam contrà reputando, neq; majus aliud, neq; præſtabilius invenias; magisq; Naturæ, induſtriam hominum, quàm vim aut tempus deeſſe. *Optimum ſanè hoc eſt judicium, ſi præſertim induſtria referatur ad omne id, quod in vita nobis expediundum incumbit, & pietatem tanquam centrum omnium actionum in ſe complectatur. Actu enim vitam oportet metiamur, non tempore: & ſicut in minore corporis habitu poteſt homo perfectus eſſe: ſic & in minore temporis modo illa perfecta eſſe poteſt: quod Senecæ eſt ſcitum ex Stoa depromtum. Nec à libella Spiritus ſancti hoc diſcrepat: Quid enim aliud eſt Natura, quàm ordinaria* DEI *adminiſtra? ut Scaliger Philoſophus Chriſtianus deſcribit: quam incuſare qui voluerit, nonne* DEO *ipſi dicam ſcribet? Scilicet omnibus ille metam præfixit, quam transgredi non licet. Eam quisquis attingit ita, ut certaminis boni, fidei & bonæ conſcientiæ ſervatæ coram* DEO *laudem obtineat, ampliſſimum vitæ ſpacium emenſus eſt. Qui verò pii viri officium non explevit, non vixit iſte diu, ſi vel extremam lineam ſenectæ aſſecutus fuerit, ſed in vita moratus eſt, nec ſerò mortuus eſt, ſed diu, ut iterum Senecæ verba inſtituto noſtro accommodemus. Atq; in hunc cenſum Virorum piorum & benè de rebus communibus meritorum dignè referimus Virum ampliſſimum Dn. D.* JACOBUM SCULTETUM, *JCtum celeberrimum, cujus hodiè exequiæ ſunt cohoneſtandæ: quem accepimus* Elbi [illegible] CHULTES, *è primoribus in iſta Urbe civibus & mercatoribus; mater a* [illegible] *locum tenentis, & Conſulis officium magnâ cum Boni publici acceſſione ibi* [illegible] *nis quoq; divini laudem educarent. Ac quia in prima ſtatim ætate ſui ex* [illegible] *ſt, ut ſub magiſterio publicæ diſciplinæ creſceret, & pietate bonisq; art* [illegible] *a de conſilio avunculi & Tutoris Dn.* GEORGII BRUNONIS, Burg [illegible] *d frequentanda comitia regni Polonici, & perpetua Prutenorum cum eag* [illegible] *m*, in Academiam Regiomontanam *conceſſit anno 1586. ibiq;* Hierony [illegible] *ret, privatam quoq; inſtitutionem Dn.* Joſuæ Thomæ *in Philoſophicis adh* [illegible] *a edidit, & horis ſucciſivis loco aliarum recreationum* Muſicam *excoluit:* [illegible] *loſophorum* Muſicam Poeticam *privatim docuit, nec non* ſacras melodias *com* [illegible] *eretur, cujus quidem voluntati obſecutus rediit in Patriam: ſed quia jam* VVitebergæ ad ſtudium Juris *animum applicuerat, eidem aperuit, ſtare ſibi ſententiam, cœptum hoc ſuum cum* DEO *urgendi. Idq; non abnuente avunculo* Heydelbergam *profectus*, Julio Pacio *Juris Civilis; &* Johanni Schonero, *Juris Feudalis Anteceſſoribus excellentiſſimis audiendis operam indefeſſam dedit, ac ſub utriusq; Præſidio Diſputationes publicas privatasq; habuit: quin & in hoc ſtadio eos progreſſus fecit, ut anno 1594.* Inſtitutiones Juſtinianeas & Jus Feudale *aliis privatim explanaret. Exacto ibidem ſeſquianno* Lipſiam *noſtram elegit, ubi eruditionis ſuæ augmenta caperet, & fructum ſimul faceret. Neq; hac ſpes decollavit: quia factâ ſibi privatim docendi copiâ, ſingulari cum ſolertiâ Nobilibus aliisq; Studioſis Juris Inſtitutiones interpretatus eſt: nec non eodem anno 1595. publicè diſputando magnam gratiam, tàm apud Præſidem D.* Johannem Monachum, *Facultatis Juridicæ Ordinarium & Conſiliarium Saxonicum, quàm apud univerſum Auditorium iniit. Poſtero anno* Jenam *ſe contulit, ibiq; Inſignia Doctoralia pro egregia ſua eruditione facilè exambivit, & 10. Julii votivo cum Academiæ totius applauſu ſolenniter accepit, ſortitus in hoc ſuo honore comparem exoptatiſſimum Dn. D.* GEORGIUM JACOBUM Reichen/ *Sereniſſ. Electoris Sax. Conſiliarium ſplendidiſſimum. Poſteà* Lipſiam *noſtram repetiit, & matrimonium inire decrevit. Ac quia rectiſſimè ſtatuebat, rei familiaris firmum columen eſſe Fœminam piam & probè moratam, ideò apud* Familiam Groſianam *ſe inſinuavit. Senſit autem à* DEO, *Conjugii autore & fautore, conſilia ſua proſperari, & animos* Parentum *ſimul & Speratæ prolixo ſibi affectu conciliari. Pater namq; Virginis, Dn.* HENNINGUS GROSIUS, *quondam Senator hujus Urbis & Bibliopola celebris, Literatorum fautor optimus, perſpectâ ejus ſingulari doctrinâ, mirâq; dexteritate & morum elegantiâ, gratulatus ſibi de hac* DEI *diſpoſitione, Filiam ſuam cariſſimam* MARTHAM, *à pudicitiâ cæterisq; virtutibus commendatiſſimam*, tunc Virginem, *ſummo cum ſuorum gaudio nuptam collocavit. Cum hac itaq;* ὁ μακαρίτης *noſter 16. Auguſti Anno 1596. nuptias celebravit, & annos triginta tres ſuaviſſimo conſortio vixit, ſuſceptis ex ea duobus liberis,* JACOBO, & ANNA: *Illum jam ad ſumma adſpirantem, quadriennio abhinc, non ſine luctûs acerbitate maximâ, præmiſit ex Juris Candidato mox ad cœleſtem gloriam promotum: Hanc autem Vir Conſultiſſimus & Excellentiſſimus Dn.* MICHAEL THOMAS, *J.U.D. & Practicus honoratiſſimus, ob varias dotes animi corporisq; ſexum fœmineum decorantes, Anno 1618. in Uxorem duxit: ex cujus conjugii fœcunditate piè defunctus quatuor nepotes & duas neptes vidit: eaq; benedictio* DEI *orbitatem, ex morte Filii præmaturâ oriundam, doloremq; mitigavit. Maritus jam factus Practico ſtudio ſe dedidit, ſibi quoq; dictum ratus acre illud Ciceronis:* Cæteros pudeat, ſi qui ſe ita literis abdiderunt, ut nihil ex his, neq; ad communem afferre fructum, neq; in aſpectum lucemq; proferre poſſint. *Quantum verò præſtiterit, paſſim loquitur bona Fama, & in Clientes extantia merita quàmplurima. Teſtantur & monumenta in publicum edita, quæ iis, qui Politicæ Jurisq; diſciplinæ ſe conſecrârunt, non ſunt ignota. Qualia ſunt:* de fide hæreticis ſervandâ: Additiones ad Deciſiones Coleri: ad Quæſtiones Modeſtini Piſtoris, & ad Obſervationes Hartmanni Piſtoris: nec non Brunonis à Sole Locos communes: ut & ad Proceſſum Terminæi, Rotſchitz, Goldſteinii, & Juliani König: *Quibus omnibus ſcriptis rectiùs percipiendis lucem magnam fœneratus eſt. Maximè autem judicii acrimoniam, uſumq; rerum plurimum arguunt* Quæſtiones practicæ, & Obſervationes forenſes, *quas proprio Marte in ſolidum elaboravit. Acceſſit honorificæ huic Bonorum omnium de ſe exiſtimationi, inprimis dignatio clementiſſima Inclytiſſimæ Domûs Saxonicæ, quæ in Expeditionibus variis ejus opera uti voluit. Nam* Sereniſſimus Elector *Saxoniæ, etiam antequam Enſem Electoralem capeſſeret, Conſiliarii munus ei detulit. Quin & ante ipſum Chriſtianiſſimus Elector* CHRISTIANUS II. *tutorio nomine Illuſtriſſimis Hæredibus Celſiſſimi Principis, Dn.* FRIDERICI VVILHELMI, *ha-*